Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2587
Quelle:
Copyright:

di jam *Codd.* multis exhibitum fuit, ut *Index* docet.

VIII. *fol.* 270. *Henrici Kelntrücz De dedicatione templi sermo bonus.* Incipit: *Ecce dominus est in loco isto. Gen. XXVIII. Hodie peragimus ecclesie huius anniuersarium dedicacionis diem* &c.

IX. *fol.* 276. *Mouenda sunt aliqua dubia circa Sacramentum Eukaristie pariter et soluenda. Primum Quare Dominus non dedit se nobis in forma propria* &c. Non Dubia tantum sunt, sed exacta Institutio ad rite suscipiendum Altaris Sacramentum.

X. *fol.* 291. *Sermones Re. M. Thome de Haselpach De quinque sensibus.* Incipiunt: *Cogitaui aliqua de quinque sensibus premissis annectere, quia magnam prebent illicite concupiscentie in nobis occasionem* &c. Desinunt: *cuius ista organa comparata sunt despiciunt. Hec ille.* Sex hos *Sermones* et a *Trithemio* et in *Scriptt. Univ. Vienn.* P. I. *Sec.* 1. p. 160. *Haselbachio* tribui video, ut jam ad *Cod.* DCVI. monui, licet testes hi aliquot linearum *Prooemium* praemittant, quod incipit: *Postquam dei dono taliter qualiter* &c. At vero cum hoc *Prooemio Sermones* hos inter *Nicolai de Dünkelspühl* opera *Argentinae* 1516. f. excudi fecit vir inclytus *Jac. Wimphelingius*, ubi *fol.* 153. leguntur. Revocat se in illo *Prooemio* Autor ad suam Expositionem *Praeceptorum Dei*, unde quis facile litem dirimeret, nisi tam *Haselbachius*, quam *Nicolaus Decalogum* exposuisset, ut *Codices mss.* testantur. Rem itaque in medio relinquam, necesse est. Certiora docebit, cui Fors libraria *Codicem* αὐτογραφον obtulerit.

XI. *fol.* 315. *Sermones V. de Nouo Sacerdote* ἀδεσποτοι, quorum Primus in illud: *Honora deum ex tota anima tua et honorifica Sacerdotes* &c. Levis omnes momenti.

DCLXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 57. 8. charactere atro luculento perscriptus, et rubricis interstinctus insignitur *Modus et forma confitendi*, et infit: *Confiteor &c. usque mea culpa. In primis. de multis bonis que facere potui et non feci. dico meam culpam* &c. Ita percurruntur Officia Hominis christiani generatim usque ad *fol.* 17. a quo Commissa de sex operibus misericordiae, Peccata capitalia cum suis Filiabus, Peccata in Spiritum S. contra Praecepta Decalogi, novem aliena Peccata, octo Beatitudines, septem Dona Spiritus S. septem virtutes cardinales, duodecim articuli fidei et septem Ecclesiae Sacramenta singillatim recensentur, additis saepius opportunis monitis, ut Libellus non tantum discutiendae Conscientiae servire, sed etiam Compendium quoddam Institutionis christianae haberi possit. Scriptor tamen inperfectum destituisse videtur. 737